

His adnectere visum est Isottam Novarelam Veronensem, quae scientiis philosophicis ornata erat, philosophicamque vitam agens, paucis contentabatur. Nicolao, ac Pio summis Pontificibus literas misit, perpetuamque virginitatem servavit. Cassandra Priami filia, doctrina illustris, vaticinio valde clara extitit. Nec silentio praeterenda est Claudia Statii Papini uxor, quae ob scientias, quibus abundabat, suae aetati admirationi fuit: neque Istrina Scythiae Regina, quae ut erat Graecae linguae peritissima, ut scribit Herodotus, Silem filium suum instruxit, neque Myrthe Autedonia, quae Pindari poetae celeberrimi magistra fuit. Sed neque Kossuta Sannoniae monacha, quae complures libros mensa, et soluta oratione scriptos reliquit. Hydría foemina eral ingenii adeo perspicacia, ut Hercules illi repugnare, nec suis doctis, acceleratisque responsionibus haudquam contradicere unquam auderet. Unde divinus Plato (*in quod. suo dialog.*) illum alte concelebrat. Constantia Alexandri Sfortiae coniux inter claras foeminas merito recensetur: haec, cum adhuc puerula esset, bonis studiis operam sedulo navavit, nempe philosophiae, et arti poeticae, unde celebris, atque insignis a Politiano praedicta est. Minerva Iovis filia nullo alio nomine in Deorum catalogum a poetis ascribitur, nisi ob probas artes, quarum ipsa fuit inventrix: quare doctrina sua appellata fuit sapientiae, scientiae, prudentiae, studii, maturitatis, iudicii, legis, omniumque virtutum veneranda Dea; atque idcirco Athenarum urbs, studiorum mater ab ipsa nomen accepit: Athene namque Minervam significat. Novem musae, nil aliud sunt, quam, ut ait Dioscorus Siculus, adolescentulae novem, omni bonarum disciplinarum genere, et praesertim canendi arte ornatas. Clio satyrorum inventrix fuit. Euterpe tibias adinvenit. Thalia comœdiarum Dea dicitur. Melpomene tragoedias usurpavit. Polyymnia gesis bellicis praesertim, Rhetoricaeque auctrix fuit. Erato geometriae fuit inventrix. Terpsichore Dea est poematum. Calliope epistoliarum adinvenit.

Clemens Alexandrinus scribit Arthemisiam quandam fuisse adeo in dialectica scientia versatam, ut dialectica nominaretur; et Amalasevta regina Graecis literis satis erudita fuit. Clemens, atque Didymus ambo Alexandrini, Anassandram, quod pingendi artem optime calleret, laudibus extollunt. Denique alias multas memorare possem, nempe Lauram Terracinae poëtica facultate clarissimam, nec non Ginevram Veronensem, quae in scribendis epistolis aequalum neminem habuit: ac demum Mantem Tiresiae filiam, aliasque complures, quas ne longius, quam par est, sermo protrahatur, consulo reticere consentaneum duco. Lucretiam tantum Marinellam Venetam appens, quae librum scripsit de nobilitate, et excellentia foeminarum valde conspicuum, quem dum haec Romae scriberemus, libenti ac iucundo animo perlegimus.

Acedit his Birgitta sancta, quae nobilem librum suarum revelationum nobis scriptum reliquit: sancta Catharina Senensis, cuius epistolae, ac dialogi acumen ingenii, quo pol-

lebat, aperte insinuant, haec praeterea coram Gregorio XI. atque Urbano VI. summis Pontificibus facunde ultra, quam dici possit, peroravit. D. Hieronymus (*in suis epist.*), Eustochium, et Fabiolam valde laudat a limpida cognitione, quam sacrarum litterarum ipsae habebant. Anastasia s. Ioannis Chrysostomi discipula multas literas admiratione dignas scripsit. Hilda Heretica piis multis meditationes scriptas reliquit, libramque contra Agybertum Parisiensem Sassonum antistitem praelo mandavit. Hydegardes virgo urbis Moguntiae multos libros in lucem edidit; quare divus Bernardus, tunc superstes, multas epistolas ad ipsam misit. Catharina Costi Alexandriae regis filia disputationem cum philosophis disertissimis inivit, qui illam idololatriae adhaerere impellebant; illos tamen nervosissimis rationibus christianae fidei capaces reddens, ad sua vota facile traxit: quod quidem Dei patrocinio innixa praestitit, quia philosophicis disciplinis, quibus, ut tradidit Marcus Philippus cognomen Funestus, in vita ipsius, a teneris, ut Graeci aiunt, unguiculis diligenter incubuit, valde instructa erat.

Ioannam Germanam praeterire nullo modo possum, quae in sacrarum litterarum perita adeo profecerat, ut Romae nullus esset, qui eam aequare valeret. Sibyllae foeminae fuerunt omnes doctissimae, atque spiritu prophético ditatae; Sibyllinos libros, magno in pretio, ac reverentia habitos, perdoctae scripserunt. Prima istarum adeo dicitur Persica, quia in Perside nata fuit, de hac Nicanores ille, qui Alexandri Magni historiae contextit, mentionem facit. Secunda Lybiae orta, dicta est Lybica. Haec ab Euripide multum celebratur. Tertia a Delpho originem trahens, Delphica nuncupatur. Quarta Cymae in Italia nata, Cymana dicitur. Quinta Erytraea fuit, quae Troiae incendium multo ante praedixerat, et Apollodorus, quod Erytres in sua patria nata fuerit, apprime se iactat. Sexta a Samo descendens, Samia est appellata. Nonnulligae contendunt, hanc Romuli temporibus vixisse. Septima Amalthea dicitur. Octava Hellepontica, quae sub Traiani regimine Cyri temporibus nata est, huius Heraclitus Ponticus meminuit. Nona fuit Phrygia. Decima Tiburtina nuncupata, Tiburis nata est: quae foeminae, ut Laetantius affirmat, multa digna prophetarunt.

HOMILIA III.

Evangelicae illius mulieris in laudem Christi, et beatae Virginis, dicentis: Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quae suxisti: praeconia multa apponuntur, quibus mira eius religio, fortitudo, et sanctitas cum singulari prudentia commendata, innotescit, in illa verba: Quaedam mulier de turba dixit: Beatus venter, qui te portavit.

Haeretici antiqui serpentis legitimi partus, inter quem, et Delparam, et semen illius, et semen Virginis olim Deus vaticinatus est futura intestina odia (*Gen. 3: Inimicitias posam inter te, et mulierem, et semen tuum, et semen illius, impallentes ferentes, Evangelicam hanc mulierem, quam Marcellam fuisse b. Marthae praedecessam, non pauci doctores cum nostro Lyrano (in cap. 19. Luc.) asserere, in ea verba laudis tam matris, quam prolis prorupisse: Beatus venter, qui te portavit: nullis conviciis illam prosequuntur; quanto tamen acrius in illam il haeretici invehantur, tanto nos impensus ab eorum calumniis illam vindicare, divino numine auspice, curabimus. Et quidem, omissis improbitis, quae falsi illi, ac importuni criminosi, Brentius (*hom. 101. in Luc.*), Sarcorius (*in cap. 11. Luc.*), Lutherus (*in post. maior. circ. Dom. tert. Quadr.*), cerle Lambertus (*in comm. huius. loc.*) militus, quam reliqui se gerens, impudenter dixit, mulierem hanc, non spiritum Dei molam, sed carnis affectu agitatum, verba illa emuciasse: *Affectu, inquit, carnis haec protulisse videtur, quemadmodum et mortis est foeminarum, eas felices praedicare, quae filios ceteris honoratioris generum.* Unde et Calvinus (*in harm. sua Evang.*) miratur, quod verbis istis huius foeminae: *Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quae suxisti, in laudem Christi, et matris utamur, cum ipse ea refellerit: verba eius sunt haec: Mirus patens stupor, quod in Mariae honorem extulit haec verba, quibus tam diserte refellitur eorum superstitio: in agendis vero gratis mulierculae vocem decerpunt, omnesque correctiones: vocat correctionem verba illa Christi Domini: *Beati, qui audiunt verbum Dei; quibus peccatum autumant, voluisse Christum Dominum insipientem illius mulieris loquelam laxare, et corrigere; sed frustra sane, perdidit hi omnes splendorem huius mulieris obscurare satagunt; quae verbis suis, audeo dicere, non solum Christum, et Virginem illustravit, sed totam Ecclesiam illuminavit. Bone Deus, quot caliginosas haeremus tenebras fulgentissima hominum verborum face depulit? Quidam temere effatuerunt, Verbum divinum veram carnem non assumpsisse, sed apparentem; alii veram carnem, sed non ex matre desumptam; alii coeleste corpus habuisse; alii, ingenue fatentes humanam carnem assumpsisse, negabant, id factum fuisse, integra matris virginitate per-***

manente; alii cantus in laudem Dei dabant: alii Christi sanctitatem calumniosi sunt: hos omnes errores sapienter paucis illis verbis: *Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quae suxisti, mulier haec confutavit. Et, ut ab hoc ultimo exordiar, confutavit, et luculenter quidem mulier haec conceptionem Christi, ac nativitatem commendat: nam si beatus est venter, qui Christum portavit, consequens est, ventrem illum non portasse peccatorem: quomodo enim beatus esset venter, qui filium in peccato concepit? Sanctus igitur fuit Christus a sua conceptione.*

Praeterea, si beata ubera, quae lacierant Christum, eadem de causa non lacieraverunt infantem peccatorem, sed sanctum. Sancta ergo fuit eius nativitas. Observo etiam, quod ut Christi sanctitatem manifestaret, omnino opposita, et contraria calumniosorum protulit verba: quum enim illi dæmoniacum, blasphemantem dicebant, haec non solum cum daemona eiciebat, sed ab ipsa conceptione, et nativitate sanctum proclamavit, adeo ut sua sanctitatem matrem suam efficeret beatam, quae talem, ac tantum filium pepererat. Deinde beatam Virginem Christum concepsisse atque viri opera, atque adeo salva virginitate, non obscure mihi indicasse videtur, dum non commendavit virum, sed matrem eius. Haec enim ratione significabat non habuisse patrem, et matrem solam. Tertullianus (*in lib. de carn. Christ. et lib. 4. contra Marcion.*), ex verbis huius mulieris probat Christum verum habuisse corpus, quod Marcion isem negabat: quandoquidem venter illum concepit, et portavit, et ubera eundem lactaverunt. Beda etiam ex istidem verbis (*lib. 4. sup. Luc. cap. 49*) probat contra haereticos Apollinaristas, qui Christum per Mariam, tanquam per canaltem transiisse dicebant, carnemque non ex illa, sed ex coelo traxisse, beatam Virginem vere Christi matrem esse: verba eius sunt haec: *Magnae devotionis, et fidei haec mulier ostenditur, quae Scribis et Phariseis Dominum tentantibus, simul et blasphemantibus, tanta eius Incarnationem praecognitionibus sinceritate cognoscit, tanta fiducia confertur, ut et praesentium procerum calumniam, et futurorum confundat haereticorum perfidiam: nam sicut tunc Iudaei, sancti Spiritus opera blasphemando, verum, substantialemque Patrem, Dei Filium negabant, sic Haeretici postea negando Mariam semper Virginem, sancti Spiritus olumbrante virtute, nascituro ex humanae membris unigenito Dei, carnis materiam ministrasse, verum, substantialemque matrem filium hominis facti non debere dixerunt: sed si caro Verbi Dei, secundum carnem nascentis a carne Virginis matris pronuncietur extranea, sine causa confertur, qui eam portasset, et ubera, quae lactassent, baptifaciantur: nec tantum Elvidianos, Valentianos, Apollinares, et ceteros confundit haec mulier, qui Christum e Virgine carnem non assumpsisse, sed illatam e coelo, per eam transgressisse dicebant; sed et eis subvertit, qui laudibus eius, et beatitudini obtractant, qui non sic acedunt ad Canticum beatae Virginis, dicentis: *Beatum me dicent omnes generationes, cum beatum illum ventrem praedica?* Ecce er-*

go fidei sinceritatem, et religionem huius evangelicæ mulieris, dum simul tot hæreses extirpat, et divinas laudes filio, et matri audacter, et intrepide decantat.

O beata Mulier, quæ laudare coepisti Mariam implem, quod ipsa futurum prædixerat: *Eccc enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*: id est ex hoc tempore, quo utero meo Filium Dei concepi. Laudavit quidem Gabriel Mariam, sed in penetrabilibus. Laudaverat Elisabeth, sed in propria domo, ubi neminem timere poterat; tu vero perfecta in charitate, foras misso timore, coram omnibus, etiam coram inimicis, ac hostibus acerrimis, Christum, et Mariam laudas cum maximo vilæ discrimine; et quod postea apostoli, et martyres præstiterent, laudantes Christum, et eius Matrem coram inimicis, tu nunc præstas, et duces te eis præbes, atque magistras: mulier videbaris infirma, sed certe virago es, et typum geris Ecclesiæ, quæ a te edocta, publice Christum, et Mariam confitetur: tu capita hæresium amputas, quoniam eam dicens matrem, Christum verum hominem ostendis; et beatam Mariam nuncupans, filium Deum dicis; de beata Maria autem omnia dixisti, cum Dei matrem eam appellasti.

At multi e contra, prohi dolor, erubescunt opera propria christiani palam exercere, instar Nicodemi, qui nocte quaerebat Christum, non in die, cum videri poterat: persimiles isti sunt Gedeon, qui, Deo illi præcipiente, et a ram Baal penitus demoliretur, timore perterritus, noluit id in die, sed noctis tempore executioni mandare, sic enim ait sacer textus: *Timens domum patris sui, et homines illius civitatis, per diem noluit id facere, sed nocte omnia complevit*: et (4. Reg. 5), postquam Naaman Syrus curatus fuerat ab Helisæo, confessusque fuerat, non alium verum esse Deum, nisi Deum Israel: ne tamen Regi suo infensus esset, postulavit a Propheta facultatem, ut simul cum Rege, templum ingrediens, posset alterum genu flectere illius idolo. Christus Dominus (Luc. 9): *Qui eruberit me, et sermones meos, hunc filius hominis erubescet*. Divus Anselmus (super cap. 10. epist. ad Rom.) docet, meminisse debere Christianos, quod, quando Christi militiæ nomen dederat, crucis signum in fronte susceperit, quæ locus est, et sedes vercediæ, et moneatur, nullatenus recundari debere, publice profiteri, verbo, et opere se christianos esse. Quæ omnia mirifice confirmant verba Seraphici nostri doctoris s. Bonaventuræ (in cap. 11. Luc.), quæ, quia pietate pariter et eruditione plena sunt, hoc loco apponenda censeo; sic enim loquitur: *Duplex notatur conditio in persona laudante, scilicet virtutis, et modicitatis; virtutis notatur in hoc, quod vocem extollat secundum illud: Exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Hierusalem, exalta, noli timere. Modicitas in hoc, quod quaedam mulier non nominata, nec nobilis, sed de turba, ut impletur illud: Pauper, et inops laudabit nomen tuum; ex quo apparet, quod laudator divini nominis non debet esse timidus, ut laudare non audeat, nec timidus, ut laudare erubescat, sed virilis et hu-*

milis. Unde, cum quidam ex timore tacerent, quidam blasphemarent ex superbia, et timore; hæc mulier humilis, et virilis, nec tacuit cum timidus, nec vituperavit cum blasphemis. Unde in Glossa: Magna fiducia inter blasphemos confletur Dei filium, ideo poterant sibi dicere illud: O mulier, magna est fides tua, quæ scribit tantum se fortificavit, et cum dicitur: Mulierem fortem quis inveniet? in te verificatum est illud: Fundamenta aeterna supra petram solidam, sic mandata Dei in corde mulieris sanctæ; hæcenus d. Bonaventura.

Sed perge iam magnanimitatem, et fortitudinem huius percelebris mulieris manifestare. Ut hæc clarius innotescat, præsupponere oportet, quod, cum aliquin Christus Dominus tot portentosa miracula in conspectu Phariseorum patrasset, præsertim tamen, quod coecum, surdum, et mutum a daemone obsessum sanasset, visum, auditum, et loqualem ei conferens, malignoque spiritu eum eripiens; blasphemiam nihilominus varia iacula Pharisei in eum coniciebant, dicentes (Luc. 11): *In Beelzebub principe daemoniorum eiecit daemonia; ut merito Christus Dominus dicere potuisset illud (Psal. 117): Circumdederunt me sicut apes, et exarserunt sicut ignis in spinis*. Christo tamen eorum cavillam evidenti illo argumento retundente (Luc. 11): *Si satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum eius, quia dicitur: In Beelzebub eiecit me daemonia? Certe tunc, sicut olim Deus suscitavit spiritum Danielis pro Susanna contra iniquos seniores populi, suscitavit et spiritum Evangelicæ huius mulieris contra Phariseos ad defensionem Christi, clara voce dicentis (Luc. 11): Beatus venter, qui te portavit, et ubera quæ suxisti*. Advertit tamen Evangelista, ut id obiter dicit, mulierem hanc hæc verba protulisse, cum Christus a calumnia sibi imposita se longe abesse ostendebat: *Cum hæc diceret: quod divina eius providentia factum arbitror, ut ad rem illam, de qua agebat, confirmandam, confessio huius mulieris magis faceret; et quia cum ipse prædixisset, a regina Saba, et a Ninivitis iudeorum esse Iudæos (Matth. 12): Regina Austri surgit in iudicio. Viri Ninivitarum surgent in iudicio cum generatione hæc, et condemnabunt illam, oportune verba illa laudis accedebant, ut per mulierem illam Iudæi convincerentur*. Mira sane huius mulieris fortitudo ex omni circumstantia delegitur. Primo, a tempore, tunc scilicet, cum acriter exarscenderent in Christum adversarii. Secundo, a loco, quia publice in conspectu Scribarum, et Phariseorum eius laudes intonuit. Tertio, quia mulier, quæ molliem præsefert, foeminas enim sexus imbecillis, timidus, imo et ignarus est, eis, qui se legis doctores profitebantur, in faciem viriliter restitit, ac de ignorantia, et de infidelitate eos arguit. Quarto, quia a Phariseis recens decretum editum fuerat, ut si quis partes Christi ageret, extra Synagogam fieret. Quinto, quia mulier erat humilis, nulla generis nobilitate conspicienda, quæ audaciam, et auctoritatem præstare solet ad libere loquendum. Unde s. Evangelista notanter dixit, mulier quaedam, ut non vulgo notissimam, nobilem, et

potentem eam fuisse putarem; quare et addidit, *de turba*, ut amplius inculcarent illius humilem conditionem: sic enim et divinae virtutis potentiam commendabiliorem reddidit, dum fragili, ac debili instrumento, adversarium pelulantiam conspexit: ut enim dixit Apostolus (1. Cor. 1): *Infirma mundi elegit Deus, ut fortia quæque confundat*. Magnas quidem victorias Sampson, simul et trophæa reportavit de Philistæis, sed videas, quod vires illas ingentes in capillis habebat, quæ pars erat imbecillis in corpore, non in brachiis: nam infirma mundi elegit Deus, ut magis in suis operibus extollatur, et laudetur; et ideo etiam voluit superbum, et ferocem Holophernem per brachium imbecillis mulieris interfici, propter quod cum ipsa Iudith intelligeret, Dei viribus id effectum fuisse, ob insignem victoriam canere incepit Deo, et dixit (Iudith 16): *Non excelsi gigantes imposuerunt se illi, sed Iudith filia Merabî dissolvit eum*. Etiam potuisset Deus populum suum Israeliticum liberare a tyrannide Amas multus viis, atque modis, sed noluit, nisi ut Hester intercedente, salvus esset; nec minus voluit tribuere victoriam Sisaræ duci Barach, nisi mulieri cuidam, nomine Iabel, quæ uxor erat Aber Cinei: in hoc voluit Deus ostendere suam mirabilem potentiam. Non dissimiliter nunc ex media hominum multitudine, quæceteriorum omnium mulierem voluit surgere, quæ non timens iram, et furorem Scribarum, et Phariseorum, Christum, et matrem eius summis laudibus efferret, et victoriam illius adversus daemones, quem exuperat, coram omnibus celebraret. Mos inebriat antiquus inter varias nationes, ut victoriam de hostibus partæ a foeminis, singulari fastu, ac suavi concentus melodia celebrarentur, ut de Germanis agens, tradit Cornelius Tacitus: quod idem de Romanis commemorat Caesar (in suis comm. lib. 2), apud quos solebat esse, ut cum ad bellum proficiscerentur, foeminae a tergo sequentes, clamando dicerent: *Viriliter pugna, ne in hostium servitute et nos redigamur*. Quando vero, oblena victoria, revertentur, eadem foeminae præcibant, triumphum illorum variis cantibus, et gestulationibus celebrantes. Viguit hæc consuetudo non solum apud Ethnicos homines, sed et fideles etiam: nam, ut sacra Exodi refert historia, Maria soror Moysis, ac multæ aliae foeminae eius consortes, quando populus Israel, divina virtute operante, Aegyptios devicit, maris fluctibus eos submergentibus, illo postea redeunte, victoriæ gloriam Deo in tympanis canebant una voce dicentes (Exod. 15): *Cantemus Domino: gloriose enim magnificatus est, e-guum et ascensorem protecit in mare*. Simile etiam est, quod (1. lib. Reg. 17) legimus, nam cum David funda, et lapide gigantem Goliath interemit, et proprio gladio caput eius amputavit, Palaestinae foeminae ad triumphum hunc celebrandum dulcem illum cantum, licet Sauli molestum, modulabantur (ibid. 18): *Saul percussit mille, David autem decem milia*. Hunc ergo antiquum morem, qui in desuetudinem iam aberat, video ab hac Evangelicæ muliere nunc instaurari. Recentem victoriam tulerat

Christus Dominus de daemone humani generis hoste, cum illum a corpore, quod obsidebat, et in quo tanquam propria arce, velut fortis armatus morabatur, imperiose deturbavit, ac foras expulsi. Pharisei autem, qui aderant, et testes tanti prodigii fuerant, non laudibus eius victoriam decantarunt, sed gloriam eius potius obscurare studearunt, dicentes (Luc. 11): *In Beelzebub principe daemoniorum eiecit daemonia*. Cuius occasione Christus Dominus aliam de illis reportavit victoriam, iaculum, quod in illis miserunt, in eos retorquens. Unde, cum omnes illi geminatae huius victoriæ laudes silerent, insignis hæc foemina, maiorum suorum vestigiis insistens, triumphum utriusque, si non pro dignitate, saltem quoad potuit, celebrare coepit, voce alta, et sonora, non missilians, et ut vulgus ait, inter dentes: *Exclamans quaedam mulier, ait Evangelista (ib.), illa melliflua protulit verba: Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quæ suxisti*. Scio quidem d. Paulum (1. Timot. 2), scribentem de muliere dixisse: *Discat in silentio, nec permittenda fidei mysteria docere, docere autem mulieri non permittit*. Verum id Apostolus intellexit, cum viri adsumt, qui id muneris præstare possunt; illis autem deficientibus, laudabile est, mulierem, maxime bene instructam, coelestia mysteria docere, et sic sexus inferior suppleat id, in quo deficit superior. Unde quemadmodum vacua supplere docuit ipsa natura, ut videre est in elementis, quæ ita sunt inter se ordinate connexa, et colligata, ut deficiente elemento superiori, quod vacuum supplere possit, inferius confestim occurrans, defectum illius supplet, et vacuum implet, ut in fontibus experimur, quæ ex defectu aeris superioris elementi, contra gravitatem suam sursum ascendunt ad vitandum vacuum; ita in presentiarum, ne divinae laudis vacuum daretur, quod diligenter vitandum monebat David, cum dicebat (Ps. 33): *Semper laus eius in ore meo*. Unde cum passionis tempore Apostoli metuculosi a Christi laudibus cessabant, latro de cruce pendens illas intonuit, innocentiam eius attestans, et paradisi Dominionum illum confitens. Quando etiam, quotquot illum agnoscebant, et ab ipso multis beneficiis fuerant cumulati, partes tamen eius minime agebant, tunc sepulcra, et lapides ora sua aperuerunt, monumenta aperta, et petrae scissæ sunt, ut illorum defectum supplerent, iuxta illud Christi Domini (Luc. 19): *Si hi tacerint, lapides clamabunt*. Ut impleter ergo sacra hæc mulier divinae laudis vacuum, a qua cessarant Pharisei, alioquin magna Christi videntes, ipsa eorum defectum supplens, victoriæ Christi applaudens, in eius, et matris honore canere coepit (Luc. 11): *Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quæ suxisti*.

Ad hæc, singularis sanctitas huius mulieris ex doctrina d. Gregorii facile deprehenditur, ut ait ille (lib. 1. moral. c. 1), explicans verba illa libri Iob (lib. c. 1), quibus dicitur: in terra Huius lobum fuisse iustum, et sanctum, inquit: *Neque enim laudabile est valde, bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis: hinc valde laudabilis est Iob, etc.* Laudabilis est etiam Abraham, qui inter idololatrias Chaldaeos de-

gens, sanctitate erat conspicuus. Tobia, de quo sacra eloquia testantur, quod cum irent omnes ad vitulos aureos, quos Hieroboam fecerat, hic solus fugiebat consortia hominum, et peregrabat Hierusalem in templum Domini. Laudabilis tandem Episcopus Pergami, qui eam lucretis regionem, ubi satanas suam sedem collocaverat (Apo. 2) : *Scio, ubi habitat, ubi sedes est satanae, vel ut legit Graecus Interpres, ubi thronus satanae*; ipse tamen firmus in fide, et divini nominis confessione, invictus persistebat: *Et times nomen meum, et non negasti fidem meam*. Atque ad hoc genus laudationis alludunt verba sponsi (Can. 2): *Sicut liliam inter spinas, sic amica mea inter alias*; super quae verba Ingo cardinalis ait: *Anima inter malignantes, bona, et inter dissidentes pacifica, quid aliud est, quam liliam inter spinas?* Atque hinc est, quod d. Petrus (in sua 2. canonica epist.) esse solam rationem assignat, ob quam Deus liberaverit Loth ab incendio Sodomam devorante, quod in terra adeo depravata ipse prorsus esset: sic enim ait (1. Petr. 2): *Iustum Loth oppressum a nefandorum conversatione eripuit: aspectus enim, et auditus iustus erat, habitans inter eos, qui de die in diem animam iniquis operibus exercebant*. Huius doctrinae non immemor d. Paulus (ad Philip. 2) dixit: *Omnia facio absque murmuratione, ut siliis sine querela, et simplices filii Dei sine reprehensione in medio nationis praave, inter quos lucretis tanquam luminaria in mundo: et divus Anselmus ait: Sicut stellae caeli non extinguunt nox, sic mentes fidelium, adhaerentes coelestibus sideribus, non obscurat humana iniquitas*. Huius sanctitatis non leve argumentum mihi est, quod non ferens silentium, in Christi, et matris eius laudibus ipsa clamavit (Luc. 11): *Beatus venter, qui te portavit*; et quamquam Virgo Deipara prius ab Elisabeth fuerat dicta beata (Luc. 1): *Beata, quae credidisti*; id tamen fuit secreto, intra privatos Zachariae domus parietes; publice autem Marcella haec fuit prima, quae Virginem praedicavit beatam: et quidem a Spiritu sancto in ea inhabitante fuisse motam, singulare artificium, quo usa fuit in hac Christi commendatione, facile mihi persuadet: ut enim Christum Dominum laudaret, laudavit matris eius ventrem, et ubera; non humanae, sed divinitus inspiratae hanc agnosce rhetoricam; nam David divino spiritu afflatus, Dei sanctitatem exallare cupiens, scabelli eius sanctitatem magnificat (Psalm. 97): *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est*. Regina etiam Saba volens Salomonem a mira eius sapientia commendare famulos suos, illius sapientiae auscultatores felices praedixit (3. Reg. 10): *Beati servi tui, qui audivunt sapientiam tuam*. Evangelista etiam s. Matthaeus describens (cap. 2) gaudium, quod reges Magi perciperant Christum infantulum videntes, refert gaudium, quo perfusi fuerunt, cum in gremio matris, velut in regali throno sedentem illum invenerunt, et solum illius meminit, quo hi Reges, cum stellam viderunt, affecti fuerunt (Matt. 2): *Et videntes stellam, gavisii sunt gaudio magno valde*. Hoc enim artificio manifestum reliquit, maius gaudium regum illorum corda occupas-

se, cum Christum Dominum viderunt. Idem etiam sacer Evangelista, ut indicaret indicibile pretium thesauri absconditi in agro, non apprehendit thesaurum, sed agrum, in quo latebat, ita Evangelica haec mulier, laudes Christi decantare desiderans, ad ventrem, et ubera matris illius, laudes convertit, ut iude facile quisque inferat, quanto laude dignior esset b. Virginis anima, cuius corpus tanta laude dignum erat. Licet autem omnia beatae Virginis membra essent valde commendabilia, consulto tamen non commendat oculos, non vultum, aut os, non manus, aut capillos, aut egregiam totius corporis compagine, sed ventrem solummodo sapienter laudavit, et ubera, quia haec duo praecipua instrumenta fuerunt ad incarnationem, conceptionem, et nutritionem Christi Domini, et ideo illa inter reliqua, tanquam specialia suae laudationis subiecta, sibi proposuit.

Deinde mulier haec prudentissimum se exhibuit, dum ad laudandum Christum matrem eius laudat; nam ut adnotavit d. Cyrillus (orat. con. Nest.), et d. Ioannes Damascenus (de dormit. b. Virg.), quia bona Christi, et Mariae erant communia utrique, victorias etiam, et triumphos, et consequenter laudes inter illos communes esse merito iudicavit, quam rem illustrare possumus ex illa sacrae Geneseos historia, ubi Iacob morti proximis, bona sua inter filios partitus fuit; cum vero accessit ad Ioseph, dixit (Genesi. 48): *Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tui de manu Amorrhaci in gladio, et arcu meo*. Quia vero nunquam legimus, Iacob de manu Amorrhaci in gladio, et arcu aliquid tulisse, sed potius suos filios, Simeonem, et Levi, credendum est, haec protulisse verba, quod cum bona patris, et filiorum communia sint, communes etiam esse debent victoriae. Hinc crederem, quod ubi (Genes. 3) in nostra Vulgata legitur: *Ipsa conteret caput tuum*; ideo legi in aliis codicibus: *Ipsa conteret caput tuum*; nam si ipsa, id est, beata Virgo, contrivit daemones caput, cur dicitur, ipsum, hoc est, Christum contrivisse caput daemones? ratio in promptu est ex dictis, quod victoriae, et triumphos, communes quodammodo sint parentibus, et consanguineis; neque immerito id asserendum est: Christus enim, quae ad generis humani reparationem spectant, operatus fuit humanitate, quam ex b. Virginis visceribus efformavit.

Addere autem possumus in huius rei confirmationem, quod scribit sanctus Eucherius (in orat. de b. Virg.), quae refertur (tom. 5. Biblioth. sanct. Patr.), Mariam scilicet Virginem esse universae Triadis complementum. Nam cum tria sint potissimum opera Dei ad extra, creatio, incarnatio, et iustificatio, his tribus, quoad fieri potuit, complementum dedit Deipara Virgo: etenim si Deus creavit Mariam, ipsa efformavit Christum; si Deus humanam assumpsit naturam, utique ex purissimo Mariae sanguine accepit. Ac tandem, si Deus peccatores iustificat, id certe intercessionem beatae Mariae praestat, sancto Germano dicente (sermo de zona beatae Virg.): *Nullus est, qui salvus fiat, nisi per te, o Virgo sanctissima*. Quare prudenter satis mulier illa, ut Christum Dominum lau-

HOMILIA IV.

Eiusdem Evangelicae mulieris, nec non Virginis Deiparae ventris encomia exordium, in eadem verba: Extollens vocem quaedam mulier de turba dixit: Beatus venter, qui te portavit: ubi praecipua epitheta, quibus sancti Patres b. Mariae uterum exornarunt, cum aliis multis a nobis excogitatis, apponuntur.

Euthymius nobili auctor, versans proposita verba, dixit de hac muliere: *Alte in eius animum Christi sermo descenderat: haec enim, cum aliquo quibus plebea esset, cum in media fuerit turba, et ratione sexus mundi doctrinae, et mysteriorum capax, sapientibus, et iuris peritis non credentibus, ipsa, Christi verbo, quod praedicabat, libenter annuens, divini seminis in cor eius iacti, uberrimum illum fructum reddidit: Beatus venter, qui te portavit, et ubera quae suxisti*. Seminaverat quidem Christus Dominus divini verbi sui semen in cor Pharisaeorum, et in cor huius mulieris; illud tamen inter utrumque fuit discrimen, quod semen iactum in cor Pharisaeorum cecidit inter spinas, et simul exortae spinae suffocaverunt illud; semen vero iactum in cor huius mulieris, cecidit in terram bonam, et ortum fecit fructum centuplum, adeo ut s. Evangelista dicat, non contentam haec Evangelicam mulierem, submissa voce, laudes Christi protulisse, alta voce eas decantasse (Luc. 11): *Extollens vocem quaedam mulier, quod sane pium, ac fervidum eius affectum, vivacissimamque fidem aperte indicat, quae in talem clamorem erupit, et ex intimis animi sensibus loquens, maxima contentione Christi praecognitione evulgata, calumniorum Christi, qui aderant, iacula in se concilianda non perimescens, ut quae sibi dictum putasset illud (Isa. cap. 40): Exalta in fortitudine vocem tuam, ezalta, noti timere. Unde merito de ea dicere licet illud (Ruth cap. 3): Scit omnis Israel, mulierem fortem te esse virtute; et illud (Machab. cap. 8): Foemineae cogitationis masculinum animum ingessit. Immo et laus Iudith delata (cap. 14) merito ei deferri potest: Una mulier Hebraea fecit confusionem in domo Nabuchodonosor regis. Etenim nihil metuentis acerrimus, qui aderant, Christi hostes, variis maledictis illum afficientes, libere loquitur, iatrepede vocem exallat, et impudentia illorum ora obtundit (Ps. 62): Obstructum est os loquentium iniqua, voce alta intonans: Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quae suxisti. Quod perinde fuit, ac si clarius diceret: Calumniantur isti tibi, o bone Iesu, teque in Beelzebub daemonia eicere praedicant, sed ego te tanta benedictione donatum, et tam beatum esse dico, ut et beatam censeam matrem tuam. Ex fermento Pharisaeo, ex depravato mentis oculo prodiit haec malignorum impostura: ego vero, quantumvis ipsi de numero, et potestate gloriorum, pauci eos facio, imo nec ipsa, quamvis mu-*

lier adversari illis vereor, ut quae facile intelligam, quantum in te blasphemem. Tam aperiensimae sunt tuae sanctitatis, et auctoritatis argumenta, ut impudentes iudicem, qui tibi tam temere obstrepent. His sane aperle mulier haec Hebraea confusionem fecit in facie Pharisaeorum, ac de illis gloriose victoriam reportavit. Quanto autem humilior, et abiecior est, quae reportat ex hoste triumphum, tanto maiore confusionis opprobrio fuerunt asantes Pharisaei deturpati, ac tanto magis Dux militiae noster Christus in Evangelica hac muliere iucundus delectatus, et gloriosius exaltatus fuit; maxime quod per illam vocem extollentem (Luc. 11): *Beatus venter, qui te portavit*, multi alii exemplo eius commoti sunt, similia verba proferre: nam, ut docet divus Augustinus (tract. 10. in Luc.), non unius mulieris dumtaxat illa vox fuit, sed multorum: verba eius sunt haec: *Cum Dominus in turba admirabilis videretur, faciens signa, et prodigia, et ostendens, quid lateret in carne, admiratae quaedam animae dixerunt: felix venter, qui te portavit*. Unde facile mihi persuadeo, mulierem hanc tyrum gessisse Ecclesiae catholicae, quia sicut illa coram hostibus Christi non erubuit illum confiteri, ita in Ecclesia catholica quantumcumque perstrepat Haeretici, nunquam verae fidei confessio deficiet, ut recte prosequitur divus Augustinus; nam versans illa verba (Psalm. 108): *Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque*; haec pulchra scripsit: *Ex ore suo quippe dicit: quia unitas corporis loquitur, in cuius membris etiam illi deputantur, qui defecerunt ad horam negando, sed poenitendo postea revixerunt; vel etiam martyrii, quam perdidit palmam, reparata confessione sumperunt; non igitur usquequaque, idest, non omnino ex ore Petri, in quo erat typus Ecclesiae, verbum veritatis ablatum est, qui etsi ad horam negavit, timore turbatus, tamen flendo est reparatus, et confitendo est postea coronatus. Totum itaque corpus Christi loquitur, id est, Ecclesiae sanctae universitas, in quo toto corpore, sive quia negantibus plurimis, remanserunt fortes, qui usque ad mortem pro veritate certarunt, sive quia ex his, qui negaverunt, multi reparati sunt, non est ablatum ex eius ore verbum veritatis usquequaque*; haec divus Augustinus: sed firmius aliud, quam Augustini testimonium habemus: nam veritas ipsa (Matth. 16) dixit: *Portae inferi non praevalebunt adversus eam*: nam sive per portas intelligamus peccata mortifera, quae merito inferorum portae nuncupantur, cum haec sola aditum parent ad Inferos: haec non possunt adeo contra Ecclesiam invalescere, ut omnino ex ea deficiant iusti: nam cum Ecclesia catholica sit sancta, ut Symbolum Niceanum docet: *Et unam sanctam, et Apostolicam Ecclesiam*; et vera sanctitas non sit sola fides absque gratia, quae fideles consortes Dei facit; consequens est, quandoquid Ecclesia duraverit, semper in illa futuros esse homines iustos, et sanctos. Si vero per portas intelligamus haereses, et schismata, certe nec haec ita praevalevere poterunt, ut Ecclesiam sanctam omnino polluant;

ut enim legimus (24. quaest. 1. c. arrecta): *Haec sancta, et Apostolica mater omnium Ecclesiarum Christi Ecclesia, quae per Dei omnipotentis gratiam a tramite Apostolicae traditionis nunquam errasse probatur; nec haereticis novitatibus depravanda succubuit, sed ut in exordio normam fidei christianae percepit, ab auctoribus suis Apostolorum Christi principibus illibata fide hactenus manet*. Non ergo deterreamur, si audierimus (Luc. 11): *In Beelzebub principe daemoniorum eiecit daemonia*, nam nunquam deerunt, qui e contra dicant (ibid.) *Beatus venter, qui te portavit*.

Verum haec verba exordiamur iam, si placet, pro viribus illustrare. Sane si Apostolus Paulus (ad Hebr. 1) Dei virtutem, et excellentiam exaltare cupiens, de eo dixit: *Portans omnia verbo virtutis suae*. Ac si diceret: omnipotentiae suae virtute omnia quaecumque sunt, conservat; non potest non magna b. Virginis laus esse, ut ventre suo portet eum, qui portat omnia verbo virtutis suae. Unde s. Gregorius Taumaturgus (orat. de annunc.) hoc tantum prodigium admiratus dixit: *sola ferens eum, qui verbo portat omnia*. Equidem, si b. Virgo portat omnia portantem, etiam ipsa portat omnia: ut quidam poetarum dixit:

Non omnis fert omnia tellus:

Quaedam enim fert frumentum, alia arbores, alia legumina, alia auri, et argenti metalla; Verbum autem Dei tam foecundae virtutis esse perhibetur, ut solo suo imperio omnia gignat; venter vero beatae Virginis tali foecunditate divinitus praeditus fuit, ut gigneret omnium gignentem, per quod illam mirabilem cum aeterno Patre sympathiam obtinuit, ut cum illo licuerit ei Verbo divino dicere (Psal. 2): *Ego hodie genui te*. Deinde illud observandum dignum est in verbis huius evangelicae mulieris, non appellasse Mariam beatam, quia a Deo acceperit, sed quia Deo dederit (Luc. 11): *Beatus ait venter, qui te portavit, et ubera, quae suxisti*. Sane Deipara Virgo divino Spiritu afflata, cum illam sui laudem protulit, beatam esse dicendam a futuris generationibus, rationem subiungens, non dixit, quia ipsa Deo aliquid dederat, sed quia magna a Deo acceperat (Luc. 1): *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna, qui potens est*. At haec mulier plene aliam excellentiorem laudem b. Mariae delituit, beatam illam appellando, quia Deo dederat, non quia a Deo acceperat; licet alioquin id, quod dabat, accepisset: nam, ut d. Paulus dixit: *Meminisse oportet verbi Domini Iesu, quia beatus est magis dare, quam accipere*. Quare necesse est, beatissimam esse Mariam, quae plus omnibus Deo dedit, atque adeo plura ab eo recepit: sicut regina Saba plura desit Salomoni; plurima vero ab eo donata suscepit, sed hoc interest inter ea, quae b. Mariae ei praesepit, quod iusti aliquo Deo tribuunt, non quia ipse in se ea suscipiat, sed quia eius conspectui offerunt dona, quibus tamen Deus non utitur: quia, ut dixit David (Ps. 15): *Deus meus est utitur, quantum bonorum meorum non eges*; Maria au-

tem, quamvis plura huiusmodi munera Deo dederit, instar aliorum iustorum, aliqua tamen dedit, quae Deus in se suscepit: qui enim bonorum nostrorum non eget, eguit, licet voluntarie, humanitate, ut opus redemptionis perficeret; hanc vero a b. Maria accepit, et sibi in unitate suppositi copulavit: *Beatus ergo venter, qui te portavit*. Eguit etiam lacte in cibum, et infantiae suae alimentum, ut canit Ecclesia catholica in officio Nativitatis:

Parvoque lacte pastus est,
Per quem nec ales esurit:

et hoc suscepit a Virgine Maria: *Beata ergo ubera, quae suxisti*.

Hanc b. Virginis miram excellentiam contemplans s. Methodius (orat. in hypop. Dom.) haec huic argumento valde consentanea scripsit: *Tu Deo aliquo nunquam indigo carnem, quam non habebat, dedisti, quo, inquam, hac ratione omnipotens, id quod esse dignatus est, homo videret, quae appareret, quid hoc illustris, quidve sublimis, qui coelum, et terram implet, cuius praeterea sunt omnia, quaecumque moventur, atque subsistunt, is tui factus est indigus*.

Ad haec merito mulier haec Deiparae Virginis ventrem beatum appellavit: nam beatus idem est, quod felix; quae autem maior felicitatis ventris foemine excogitari potest, quam ut simul foecunditate, et virginitate sit praeditus? S. Iob de daemone sermonem faciens, inquit (cap. 40): *Virtus eius in lumbis eius, et fortitudo illius in umbilico ventris eius*. Super quae verba divus Gregorius (in haec verba) asserit, in viris concupiscentiam sedem habere in lumbis, in foeminis vero in umbilico ventris: illa autem est virgineae beatae Mariae puritatis excellentia, quod venter, qui in reliquis foeminis sedes est veneris, et impudicitiae, in ipsa sit omnis castitatis, et pudicitiae fons, et cum aliquo omnes foeminae absque praecisione impudici umbilici nascantur, ut Ezechiel dixit (cap. 16): *Quando nata es, non est praecisus umbilicus tuus; beata autem Virgo ita pura, ac pudica ab instanti suae conceptionis exiit, et in ea perseveravit, ut nunquam egerit turpis umbilici praecisione, quo semper caruit*. Unde Gualtelmus (in sigillo Mar.) postquam dixerat ex d. Gregorii Papae doctrina, seminarium libidinis viris in lumbis, foeminis vero esse in umbilico, subdit haec verba: *At vero illa Virgo, quae Dei filium procreavit, partus huius novitatis ab initio praeparata, et singulari benedictione praeventa, in sua carne nunquam potuit colorem illum venereum experiri: ab initio enim, ne seminando secundum carnem Dei filio esset minus idonea, innatus ille fomes concupiscentiae in carne eius virtute divina funditus extinctus est. Itaque non sicut aliis foeminis in umbilico illi fuit seminarium luxuriae, cum tamen in umbilico eius fuerit semen illud Abrahae, quod Apostolus praeclearae commendans, cum de filio Dei loqueretur: nunquam, inquit, angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit; non sicut aliis foeminis illi foeminae in umbilico fuit semina-*

CARTHAGENA DE B. M. V. — Vol. III,

rium luxuriae, idest, genitalis ille liquor calore concupiscentiali exinde resolvens, et derivandus, sed seminarium vitae, idest, beatum illud semen Abrahae, calore Spiritus sancti exinde resolvens, atque eo ipso a Filio Dei in unitatem personae suae pro salute humani generis assumendum; haec ille. Sponsus autem, ut eximiam hanc b. Virginis puritatem cum foecunditate coniunctam ostenderet, dixit ei (Cant. 7): *Umbilicus tuus, sicut crater tornatilis, nunquam indigens poculis*. Venter tuus, sicut aceruus tritici, vallatus liliis. Expustulat hic locus, ut duplicem hanc metaphoram crateris, et acervi, in laudem b. V. mystice exponamus cum Ruperto, Alano, Gulielmo, et Halgrino (in cap. 3. Cant.), et cum Honorio (de inst. Virg. Mar.), imo et cum d. Ambr. (de inst. Virg. cap. 14). Comparat primum utrum virgineum b. Mariae crateri, ad significandum eximiam eius puritatem: quia crater, vel patera est, vel quoddam ingentis calicis genus ad hibendum. Suis autem ignorat, nihil mundius, et purius ab omnibus exquiri, etiam agrestibus hominibus, quam vas, unde potum hauriant, aut patera, per quam vinum, aut aquam bibant? Comparavit utrum consulo pudicum illum utrum non crateri argenteo, vel aereo, quae aurifex metallo elaboravit, sed crateri tornatili: quia vasa toro confecta facilius elaborantur, ut hac metaphora significaret, b. Virginem absque omni difficultate, apte sine omni illecebra, et absque omni carnis angustia libillatam suam virginitatem conservasse: quod et verba sequentia (Cantic. 7), *Nunquam indigens poculis*, luculentius explicant: nam quid aliud est, umbilicum non indigere poculis, nisi per appetitum libidinis viri complexum non sitire? Ad quod sane aludant b. Virginis verba, cum dixit (Luc. 1): *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* quasi diceret, quia viri complexum nunquam desideravi, imo propositum firmum, et votum habeo nunquam illum desiderandi: quod adeo verum arbitror, ut quod ad beatam Virginem attinebat, nisi virginitatem eius tulum fore promississet angelus, non dubito ipsam non electuram fuisse Dei matrem esse, nisi aliud Deum velle intellexisset; cuius non leve indicium est, nunquam consensum suum praebuisse, ut mater Dei fieret, quousque ab angelo expresse audit (ibid.): *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obrumbrabit tibi*. Quomobrem, ut Spiritus sanctus manifestaret eandem beatae Virginis mirabilem puritatem, eam etiam appellavit (Cant. 7), *Puteum aquarum viventium, quae fluent impetu de Libano*. Ut vero arcana, quae in hoc loco latent, detegamus, observare oportebit, morem fuisse certo tempore apud Hebraeos iudicum tribunalia iuxta puteos aquarum sita habere: nam si accusatus innocens probabatur, hac caeremonia utebantur, ut continuo se aqua ablueret in argumentum suae innocentiae; si autem tanquam reus condemnabatur, aquam effundebat, significare volentes, culpam eius adeo esse manifestam, ut nulla excusationis aqua ab ea se emundare possit; ad quem ritum alludunt verba (ib. 1. Reg. 7): *Iudicavit*

Samuel populum in Masphat, et effuderunt aquam multam, quia scilicet convicti fuerant rei a Santele de delicto suo. Vocans ergo sponsus b. Virgineum puteum aquarum viventium, significare voluit, tantam fuisse eius puritatem, ut non solum in se munda esset, sed ad aliorum emundationem mille modis iuvat. In eo autem, quod alio, aquas illius putei descendere impetu de Libano, aliud clauditur mysterium, ad quod reserandum praenoscere oportet, a quas illas, quae descendebant de monte Libani, a Iordanee derivari, qui e duobus fontibus, qui in vertice montis Libani erant, orientantur. Observare etiam opus est, Christum Dominum Iordanis aquas sanctificasse, ut sacri baptismatis aquis, quibus fidelium animae erant ablundae, mirabilem virtutem impertiret. Ut ergo Spiritus sanctus significaret talem, ac tantam esse puritatem b. Virginis, ut non solum ipsa in se pura, et immaculata semper permanserit, sed et alius puritatem suam intercessionem conferret; ideo consulo comparat eam puteum aquarum Iordanis, cuius aquas Deus emundavit, et sanctificavit, ad abstergendas peccatorum maculas. Unde Gulielmus egregius Canticae interpres (sup. hunc loc.) ait b. Virgini: *De te fluxit fons hortorum; per te venit baptismum fideium, et puteus aquarum viventium, iacet, Christus; et haec cum magno impetu de Libano fluunt, quia cum magna abundantia s. Spiritus de candore tuae castitatis, et sanctitatis exundantur.* Quod autem ait, *Aquarum viventium*, ad differentiam aquarum stativiarum dixit, quae facile putrescunt, et foetorem emittunt; vel dicamus cum Haigrino (in c. 4. Cant.): *B. Maria propter inscrutabilem profunditatem gratiarum, quae in ipsa congesta sunt, dicitur puteus aquarum non simpliciter, sed viventium, hoc est, salientium in vitam aeternam.* Hae fluunt cum impetu, quia illi resistere non valent adversarii nostri, daemones, et haereticus, quae de se (Ecl. 2) dicit: *Ego quasi Libanus non incisus, raporavi habitationem meam.*

Verum ad id, unde nonnihil digressi sumus, revertemur: postquam sponsus sub metaphora cervi tritici ventris puritatem commendaverat, continuo sub eleganti metaphora aervi tritici liliis vallati miram eiusdem ventris fecunditatem admitti exprimit (Cant. 4): *Venter tuus, sicut aervus tritici, vallatus liliis.* Etenim praeterquam quod venter praegrans propter tumorem, quem latens proles causal, persimilis esse videtur aervo tritici; certe frumenti aervus, symbolum est fecunditatis: a frumenti enim copia annus dicitur fertilis, licet aliquando aliarum frugum sit inopia; a penuria vero frumenti sterilis dicitur annus, quamvis alias fructus arborum abunde suppetant. Quod autem addit, *vallatus liliis*, licet quidam, propter candorem litorum, id ad virgineam illius sacri ventris puritatem referant, mihi tamen non omnino probatur, quia iam sub metaphora crateris, eximiam illius puritatem, ac munditiam declaraverat. Ego quidem arbitror, ad eandem virginei ventris fecunditatem magis adstruendam, litorum vocabulo aervum circumdedisse, quia inter om-

nes plantas nulla lilio foecundior, cum una sola illius planta in terra sita totum areolam liliis impleat.

Deinde ex eo etiam liquet, quam congrua sit virginei ventris comparatio cum aervo tritici, cum vere ille generit Christum Dominum, frumentum electorum, ac coelestem panem, quo fideles cibantur in vitam aeternam (Ioann. 6): *Ego sum panis vitae, qui de coelo descendi: si quis manducaverit ex hoc pane, non morietur in aeternum.* Quod autem quibusdam difficultatem ingerit, illud est: quomodo venter b. Virginis aervo comparetur, qui nulla grana continet, cum aliqui Christus Dominus unico grani frumento se comparaverit (Ioa. 12): *Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet.* Respondet Honorius (in cap. 7. Canticae.), in ventre b. Virginis iacuisse unigenitum Dei incarnatum, qui licet sit unicum granum, quia est unus Christus, simul tamen est aervus, quia in eo cumulatorem fidelium populum. Quam expositionem videtur mihi mutasse ex d. Ambrosio (de instit. Virgini. cap. 13) asserente, Christum Dominum unicum granum frumenti in cruce mortuum fructum attulisse, et sic electos omnes, veluti aervum tritici ex Christi passione multiplicatum in utero beatissimae Virginis, tanquam eius spirituales filios quosque contentos, ad eum certe modum, quo in utero Rebecae in duobus geminis Iacob, et Esau, duo populi fuerunt. Unde et divus Epiphanius (serm. de laud. Deip.) dixit: *Ipsa est ager minimo cultus, quae Verbum, velut granum frumenti suscipiens, etiam manipulum genuerit.* Manipulus autem hic electorum est multitudo, respectu quorum Apostolus (ad Rom. 8) vocavit Christum, *Primogenitum in multis fratribus.*

Ex quibus omnibus palam fit, Christum, et nos, unam habere communem omnibus matrem, sanctam Mariam, quia, cum Christum, tanquam Filium naturalem utero suo genuit, nos etiam in eodem spiritualiter concepit, et portavit, atque in filios suos charissimos adoptavit: etenim quemadmodum filia regis Pharaonis adoptavit infantulum Moysen iuxta aquas; ita b. Virgo baptizatos, seu penitentes, et in aquis lacrymarum vagientes, assumit in filios, et nutrir per angelos facit. Et quamquam mulieres ex praescripto principis alios in filios suos adoptare valent; beatissima Deipara non tantum adoptandi a principe Christo, quando ei dixit (Ioann. 19): *Mulier, ecce filius tuus.* Unde dicit, Iohannes, sed discipulus, quod est nomen commune, ut ad quemlibet hominem, qui est Christi discipulus, illa verba, dicta in sensu spirituali, intelligamus, ut omnes sciant, beatam Virginem sibi datam in matrem: nam si Dehora nuncupatur mater Israel propter defensionem, et protectionem illi populo impensam; quanto magis prudentissima haec Virgo, quae sub umbra altarum suorum nos protegit, et defendit, mater totius populi Christiani iure optimo debet nuncupari?

Ad haec, mulier illa divino Spiritu afflata, illa praecis verbis pene infinita b. Virginis en-

comia perstrinxit, ut si omnia, quae in sacris eloquiis, et a sanctis Patribus hucusque scripta, et dicta sunt, cum illis conferantur, nihil sane excellentius de b. Virgine dixisse comperiemus, quam mulier illa protulit, dum b. Mariam discretis verbis matrem Christi ingenue professam est, dicens (Luc. 11): *Beatus venter, qui te portavit.* Sicut enim, quaecumque magna de supremo omnium numine, universi opifice, omnium creatore, gubernatore, et conservatore dicuntur, excedere nequaquam possunt illa, quae suprema Dei appellatio in se claudit, cum revera illa omnia in virtute complectatur, et plura alia sibi divinae ipsius menti reservata, quae sola illum comprehendit: ita quaecumque praeconia a primordiis Ecclesiae catholicae usque in finem saeculi in Ecclesia militandi, et per totam aeternitatem in triumphanti proferuntur, omnia illa, et pleraque alia, quae nemo novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare; Matris, seu Genitricis Dei beatissima, et honoratissima omnium appellatio in se una complectitur: non ergo frustra dixi, neminem maiore illa laude b. Virginem exorasse, quam haec mulier, dum dixit (Luc. 11): *Beatus venter, qui te portavit.* Tetigit enim originem, ac foecundam illam venam, unde omnia coelestia charismata, divina beneficia, ac portentosa privilegia b. Virgini divinilus collata, ortum habuere. A peccato originali praeservata fuit, quia in matrem Dei praeclecta erat. Plena fuit gratia, quia ex proprio sanguine conceptura erat Filium Dei. Virgo fuit immaculata, et mater simul fecunda, quia Deum in utero portavit. Corpus eius post mortem omnis corruptionis expertus fuit: quia indensum erat, visceribus in quibus Verbum divinum carnem induerat, a vermibus dilacerari, aut in pulverem redigi. Exaltata tandem fuit super choros angelorum, quia infra fumulos regis collocari tanta maternitatis dignitas non patiebatur. Merito ergo haec Evangelica mulier, ut paucis Mariana multa encomia complecteretur, omnem eius felicitatem ad ventrem, et ubera retulit, divino Spiritu agnoscens, nec Deum fuisse tantum illi collatum gratiae, nisi prius filii sui dignum matrem illam efficere decrevisset, nec Mariam tam felicem futuram fore, nisi Verbum divinum ex utero eius carnem hypostaticae unionis vinculo sibi univendum assumptisset.

Ad extremum antiqui Ecclesiae Patres, tot ac tam praeclearis testimoniis, illusterrimis quoque epithetis virgineum beatae Mariae uterum, velut candidissimis, ac fragrantissimis liliis circumclarant, ut nec possim, nec debeam saltem selectiora quaedam his, quae hucusque dixi non attexere. D. Epiphanius (sermon. de laud. b. Mar.): *Beata, inquit, ovis, quae peperit agnum Christum: iuvenca nunquam iugum experta, quae vitulum genuit: fidei mensa intellectualis, quae panem vitae mundo suppeditavit: cibus intellectus, qui ignem, et panem vitae calidum mundo in esum attulit.* Epiphanius item in haeresim Manichaeorum scribit, Manichaeos panem, tanquam a Deo malo creatum, aversari cum his execrationibus: *Maledictus qui te seminavit, qui collegit, qui pin-*

suit, qui coxit; sed nos, cum de pane vitae disseverimus, quid aliud dicamus, quam benedicimus terram, e qua collectus est? Beatus iugiter venter Virginis, qui eum portavit, ubera quoque, quae suscit.

Chrysippus Hierosolymitanus (serm. de Deip.): *ait; Virgini Lesse semper virentem, quae humani generi vitam pro fructu attulit, omni quidem tempore, beatam praedicare, admirari, et laudibus exorere convenit.* D. Bonaventura (in Luc.): *Nec vero mirum est, si matris Dei ventrem beatum dicit, in quo et ille, et ex quo formam humanam accepit.* (Sap. 7): *In ventre matris figuratus sum caro, decem mensium tempore.* Unde in laudem beatae Virginis dicitur (Cantic. 7): *Venter tuus aervus tritici: quia Christus erat granum frumenti, secundum quod dicit divus Iohannes (cap. 12), et hoc tritico fuit venter eius impletus, et ideo beatus propter tria privilegia: quia, ut dicit divus Bernardus, fuit sine corruptione foecunda, a sine gravidine gravida, et sine dolore puerpera (Isaiae 66): Quis audivit unquam tale? et quis huc simile? nisi propter tria miracula. Primum est, conceptio infinite dulcantium: Deus enim ibi factus est homo, creator creatura, immensus parvus, Verbum infans, aeternus temporalis. Secundum miraculum est, quia qui fecit ventrem, factus est in ventre: unde dicitur (Psalm. 86): *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei, et post: Homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus.* De hoc potest exponi illud (Ecl. 3.3): *Vas admirabile, opus excelsi.* Tertium miraculum est, quia continet omnium, qui continentur in ventre; et ille ibi capitur, quem totus non capit orbis. Unde cantat Ecclesia catholica: *Quia quem coeli caepae non poterant, tuo gremio contulisti.* S. Thomas (in suis serm. Domi. Dom. 4. Quadrag.) haec sapienter, et erudite scripsit in illa verba: *Beatus venter, qui te portavit: Nota, quod venter b. Virginis dicitur beatus, propter sex. Primo, quia portavit eum, qui in seipso sumus: beatus est (1. Tim. 6): beatus, et solus potens rex Regum. Secundo, propter magnam affinitatem, quam habuit cum beatissima Trinitate: fuit enim filia Patris, mater Filii, sponsa, et habitaculum Spiritus sancti, ac totius Trinitatis nobilitate Trinitatum. Tertio, quia concepti sine corruptione, portavit sine labore, et peperit sine dolore, de his (Luc. 1): Spiritus sanctus supervenit in te; et ideo concipies sine corruptione: Et virtus Altissimi adunbrabit tibi: et ideo paries sine labore: ideoque et quod nasceris ex te sanctum, vocabitur Filius Dei: et ideo paries sine dolore. Quarto, quia portavit pretium redemptionis (Num. 20): Domine operi thesaurum tuum, fontes aquae vitae, ut salvati, cesset marmoreatio eorum. Et apparuit gloria Domini super eos. Quinto, quia habuit selectiora de omni statu, de statu virginum integritatem, de statu conjugatorum foecunditatem, de statu continentium castitatem; haec omnia d. Thomas Aquinas.**

Ruperus (lib. 3. in Cant.) sub metaphora lectus Salomonis de virgineo ventre haec loquitur: *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambulant ex fortissimis Israel: unicusque eius*

super femur suum propter timores nocturnos. Quis enim est, inquit Rupertus, lectus Salomonis, qui inter nos, et Dominum pacem composuit, nisi ille, in quo divina natura humanam sibi naturam coniunxit? et quis ille est, nisi uterus tuus, o dilecta dilecti, uterus virginatis? Ibi namque divinitas Verbi Dei, Verbum Dei sese conculsit, et humanam naturam de tua carne formatam sibi in unitate personae inseparabiliter coniunxit: et ecce sponsus, id est, carnem nostram cum anima rationali habens Deus, sponsus, inquam, Deus, et homo Christus, sicut canimus in Psalmo: Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Patres vero illi antiqui erant viri fortissimi, vere tenentes gladios, et ad bella doctissimi, nondum enim processerat sponsus de thalamo suo, et adhuc laborabat diabolus per satellites suos reges Aegyptios, reges Assyrios, Persicos, Graecos, laborabat, inquam, et laboraverat diabolus, ut divinos hostes, obistere volens Dei proposito, non impleteretur promissio, ac collocaretur hic lectus, sive thalamus ne esset, unde nasceretur haec beata, et dilecta Virgo, de cuius utero procedere oportebat dilectum, tanquam sponsum de thalamo suo. Isti erant timores nocturni, quos dicit hoc modo: Uniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos. Hinc vere ad bella doctissimi, quia cur bellarent, causam prae oculis habebant huiusmodi; haec Rupertus Abbas.

Guericus Abbas (serm. 1. de Annunc. b. Mar.) sic loquitur: Quam beatus igitur venter eburneus, unde caro eburnea sumpta est Redemptoris, pretium animarum, miraculum, solium summae maiestatis, thronusque potestatis, cibus vitae immortalis, medicina peccati, restitutio sanitatis; quotquot, inquit, tangebant eum, sanabantur a languoribus suis: nam virtus de illo exibat, et sanabat omnes. Beatus igitur venter, qui te, Domine Iesu, portavit, felix castitas uteri virginalis, quae huic operi materiam ministravit: felix proorsus, fratres mei, nitor illius eboris, id est, candor castitatis, cui nec aurum mundanae sapientiae, nec argentum eloquentiae, nec gemma alicuius excellentis gratiae nostri praefert electio Salomonis: si modo tamen castitas humilitate commendatur, quia humilitatem ancillae suae respexit Dominus; proinde namque Salomon, cum in carmine amoris castitatem praedicaret, Virginis sui sponsae videlicet, seu sponsi, quia quorum spiritus unus, et caro una, in plerisque etiam laus una, ut castitatem illius adorantem, nostramque adornandam etiam illius virtutibus deceret, ait: Venter eius eburneus, distinctus sapphyris. Ut autem noteris, quia castitas aliarum virtutum seu gratiarum sit receptaculum, apothecae thronicae, seu unguentariae nostri Salomonis non nisi domus eburnea sunt, sicut David in illo epithalamio cecinit, quod inscriptio tituli: Canticum pro dilecto, de sponso Ecclesiae accipiendum ostendit: Myrrha, inquit, et gutta, et casta a vestimentis tuis, a domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filiae Regum in honore tuo; haec ille.

B. Petrus Damianus (serm. de annunc. Deip.) sic locutus est: Locum voluptatis, utrum b. Mariae intelligo, in quo cumulavit omnes delicias deliciarum Dominus, de cuius delictis Spi-

ritus s. admiratorio sermone in amoris Cantico sic eruat: Quae est ista, quae ascendit de deserto, delictis affluens? Numquid in angelis voluptatem habet Altissimus, in quibus ipse reperit pravitatem? numquid in constellatione, vel scintillatione stellarum, quorum aethae conuertuntur in sanguinem, aethae cadunt de coelo, ad in tenebras obscurantur? numquid Dominus voluptatem habet in aere, vel igne, vel ventis? nequaquam; quia non in igne Dominus, non in commotione Dominus, non in spiritu Dominus; si verax est ille, qui curru igneo, et equis igneis est assumptus in coelum; numquid in aquis, ubi furens, et tortuosus Leviathan immoratur, aut in terra, quae sub maledicto Aadae spinas emittit, et tribulos? non est locus voluptatis, nisi uterus b. Virginis, ex quo egreditur humanitate, quae vestitus cilicio nostrae mortalitatis visibilibus humanis oculis apparuit, et de Virgine virgini, de libera autem, generationis lineam faciens, divinitatis hamum invenit, quem carne operuit virginati, ut draco magnus illectus ad carnem, ferrum divini numinis subsentiret; haec ille.

B. Bernardus (serm. 3. super Saloe Regi.) propter maternam dignitatem variis metaphoris b. Virginem exornat in haec verba: Non solum coelum, et firmamentum Domina rerum intelligitur, sed altis nominibus convenienter appellatur, et rerum vocabulis designatur ipsa, tabernaculum Dei, templum, domus, atrium, cubiculum, thalamus, sponsa, filia, arca dillecti, arca testamenti, urna avara manna continens, virgo Aaron, vellus Gedeonis, porta Ezechielis, aethae Dei; coelum, terra, sol, luna, stella matutina, aurora, lucerna, tuba, mons, fons, hortus, liliolum convallium, desertum. Ipsa est terra promissionis, lacte, et melle manans, stella maris, navis quoque, via in mari, sagena, vinea, ager, arca, horreum, stabulum, et praesepe subigale, apotheca, aula, turris, castra, acies, populus, regnum, sacerdotium, ovis, pasceus, paradysus, vestis, margarita, candelabrum, mensa, corona, sceptrum, panis, oleum, vinum, arbor, virga, cedrus, cypressus, platanus, libanus, cinnamomum, balsamum, myrrha, thus, oliva, nardus, crocus, fistula, calamus, storax. Soror, et Mater est; et ut breviter concludam, de hac, et propter hanc totus mundus factus est; et haec gratia Dei plena est, et per hanc homo redemptus est, Verbum Dei caro factum est, Deus humilis, homo sublimis; haec d. Bernardus.

Sophronius (serm. de assumpt. Deip.) haec profert: Vere hortus deliciarum, in quo consistit universa florum genera, et odorama virtutum, siquae conclusus, ut nesciat violari, neque corrumpi ullis insidiarum fraudibus; nos itaque signalus sigillo totius Trinitatis, ex quo fons vitae manat; in cuius lumine omnes videmus lumen, quia in aethae d. Ioannem: ipse est, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Cuius profecto enarratio uteri superiorum civium omnium est paradysus; haec ille.

Divus Ioannes Damascenus (orat. 1. de dorm. b. Virg.), loquens cum Deipara, haec dicit: Tabernaculum Abraham te aperitissimum indicabat; etenim Verbo divino in ventre tuo, tanquam ta-

bernaculo habitanti, humana natura subincinerium panem, hoc est sui primitias ex puris suis sanguinibus obtulit, a divino igne quodammodo coctas, panemque effectas: atque in divina ipsius persona existentes, et ad veram corporis animati anima rationali, atque intellectui substantiam venientes: et idem (orat. 1. de Nativ. b. Virg.): Cedat, inquit, illud spiritus tabernaculum, quod Moyses in deserto ex pretiosa atque omnis generis materia construxit, atque etiam ante istud patris Abraham tabernaculum, viro, et ratione praedito Dei tabernaculo: hoc enim non actionis dumtaxat, ac potentiae divinae conceptaculum fuit; verum et essentiae, ratione ipsiusmet personae Filii, ac Dei; sic d. Ioan. Damasc.

His omnes addimus nos, Christum Dominum dixisse (Luc. 10): Beati oculi, qui vident, quae vos videtis. Si ergo Apostolorum oculi, qui Verbum divinum incarnatum imbecilli tunc praediti fide, intuebantur, et non integro quadricennio familiares Christi fuerunt, et tamen ab ipso beati vocantur; cur non beati oculi Virginis Mariae, qui mundi lucem, et Verbum carnem factum, illumque speciosum prae filiis hominum, ante alios primum speclaverit, simulque omnes aethae illius progressus incredibili cum voluptate, et fide nunquam dubia spectando, sese oblectaverit? Pari ratione, cur non recte proficimur: Beatae aures, quae Maria plus, quam regina Saba, non dicam ad regem Salomonem, sed ad ipsam Dei Sapientiam, sed ad iustitiae doctorem, et magistratum unum Christum, privatim et publice audiendum, cupidissimas altituli, et porrexit? nullus ut illum vel attentius, vel laetius, vel utilius de summis illis disserentem mysteriis vel interrogaret, vel auscultasse videatur? Cur non beatae quoque Virginis Deiparae manus appellationis, quae tot annis tanta cum animi suavitate de Verbo vitae contractaverunt? manus, inquam, quae huic divinissimo infanti, puero, adolescenti in victu, atque vestitu noctes ac dies materna quoavis officia fidelissime praestiterunt? Cur non beatae pedes etiam agnoscaimus, quos Dei amor, Christi cura, et obedientiae lex ad longas, difficiles, et sacras illas peregrinationes frequenter extraxit? pedes, inquam, quos ad Christi fastigia tum insequenda, tum revisenda ante, et post filium in coelos assumptum, libenter exercuit, ac defatigavit? Cur denum beata non falemur oscula, quae dilecta dilecto in charitate non ficta loties, et tam reverenter delibavit? quae a nato vicissim amanter accepit, cum talem filium talis mater in sinu amplecteretur: et tam dulce dulci de collo penderet onus, quod eadem parens, et nutrix, et gerula manibus circumferret, gestaret in ulnis, foveret in gremio, ac saepe numero blandissime demulceret? Quem vero demulceret? Lilium convallium, Israelis gloriam, lumen gentium, suum decus, suum solatium, praesidium unicuique. Certe Melchidi sanctae virgini (lib. 1. grat. spirit.) hoc revelavit Deus, saepe numero usu venisse, ut b. Maria suum infantulum in gremio foveret, summoque capiti illius capiti suavissime applicaret, ita

sero factum esse, ut filii caput, et faciem profusis amoris lacrymis irrigaret: hunc vero sermonem matri eo tempore familiarum, usitatumque fuisse, ut compellens filium diceret: O salus et gaudium animae meae.

Beatus venter tuus, o Deipara Virgo, beatus locus, in quo qui genitus erat ab aeterno in utero Patris, temporaliter fuit conceptus in utero matris. Beatus liber candidus, in quo Verbum Dei scriptum fuit, non alio quam purpurei sui sanguinis atramento. Beatus venter, qui fuit mensura, ad quam se colligens immensus Dei Filius, parvitas eius se coaptavit. Beatus venter, qui praetium fuit, in quo imago illa invisibilis Dei maiestatis veram sumpsit imaginem hominis, non amissa illa, quae erat Dei. Beatus venter, in quo miraculum illud omnium miraculorum maximum perceptum est, cum Verbum caro factum est. Beatus venter, qui mystica theca fuit, in qua thesaurus sapientiae, et scientiae Dei servatus fuit. Beatus venter, qui fuit concilium, in quo pretiosa corporis Christi margarita, coelo irrorante, fuit procreata. Beatus venter, in quo vel ut olim in urna, divinum manna latuit. Beatus venter, qui domicilium fuit regale Regis coelorum. Lectulus vere Salomonis, ac thalamus, in quo triplex sponsalium celebratum fuit: Verbi divini cum humanitate, Christi cum Ecclesiae, Spiritus s. cum Maria. Beatus venter, in quo factus est coelestis panis, quo fidelis cibatur, et reficitur. Beatus venter, coelo ipso capax: siquidem capere potuit, quem coeli coelorum capere non possunt. Beatus venter, qui paradysus fuit secundi hominis de coelo coelestis. Beatus venter, qui ager fuit fecundus adeo, ut pro fructu proferret ipsum Deum. Beatus venter, qui portat omnia portantem verbo virtutis suae. Beatus venter, ex quo, velut ex arce, Filius Dei humanae carnis armis munitus, humani generis hostem debellavit, et spolia eius tulit. Beatus venter, qui officina fuit, ex qua rex gloriae purpuram carnis humanae, Mariani sanguinis corco tinclam assumpsit. Beatus venter, ex quo Deus, qui non erat homo, prodiit filius hominis, ut Christus Dominus saepe se vocavit, quae appellatio nemini, nisi ipsi, convenire potest: quia reliqui sunt filii hominum, utpote ex viro, et foemina procreati, Christus autem solus est filius hominis: quia non ex viro, sed ex sola b. Virgine, Spiritu s. cooperante, genitus fuit. Beatus venter, qui Bethleemica illa fuit cisterna, a Davide ardentem desiderata, ex qua immortalitatis poculum cunctis viventibus emanavit. Beatus venter, qui terra virginea fuit, de qua dictum est (Ps. 84): Virgitas de terra orta est. Beatus venter, qui Deum peregrinantem, quando Venit in propria, et sui cum non receperat, hospitio excepit. Beatus venter, qui hortus fuit conclusus, et fons signatus sigillo sanctissimae Trinitatis. Beatus venter, qui pretium fuit nostrae redemptionis, et commune aerarium extruxit, ad humani generis inopiam sublevandum. Beatus venter, qui factus est magnum, ac percellere Deitatis templum, sacrarium Spiritus s. fulgentissimum divinae Triadis trichinium. Beatus venter, qui

chara Dei civitas fuit, aula coelestis, ferculum Salomonis, fons lucis, altare sanctorum sacerdotis. Beatus venter, qui et beatum filium concepit, et angelorum, et hominum beatitudinem genuit. Ac tandem, quia non solum difficile, sed impossibile iudicio, huius Mariani ventris laudes exaurire, Salomone dicente (Ecc1.4): *Quis investigabit omnia secreta ventris? sicut dicens facio, cum muliere illa Evangelica (Luc. 12). Beatus venter, qui te portavit. Beatus ille venter iulactus, immaculatus, sanctus, illibatus, impollutus, seraphinisque purior. Beatus venter ille mundissimus, qui immortalitatis aditum roseravit, universum orbem locupletavit, ac divinae gratiae benedictionibus replevit. Beatus venter, per quem peccatores veniam, iusti gloriam, angeli laetitiam, totaque Trinitas gratiam percepit; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.*

HOMILIA V.

Celsissimae dignitatis Matris Dei praecellara multa encomia proferimus, in illa verba: Beatus venter, qui te portavit (Luc. cap. 11).

Maternitatis Dei sublimissimum dignitatem contemplant d. Thomas (3. part. q. 27. art. 1. ad 1) dicit: *Hic titulus, scilicet matris Dei, ut admirabilis est, ita admirabilis sanctimoniam universae civitatis postulat: haec copiose adeo divina munificencia in b. Virgine effudit, ut d. Bernardus (hom. 4. sup. Miss. est) dubitet, an beatissima Virgo, divino aliquo lumine prae omnibus aliis copiosissime illustrata, plene dignitatem hanc cognoverit: etenim ait: Quid est, El virtus Altissimi obambrahit tibi? qui potest capere capiat: quis enim, excepta fortassis illa, quae hoc sola in se felicissime meruit experiri, id intellectum capere, vel ratione discernere possit? Ecce, fortassis, dixit, dubitat ergo. At d. Augustinus (sup. Magn. tom. 9) indubitanter, et absque haesitatione affirmat, Dei genitricis dignitatem ab ipsa etiam Dei parente non plene agnitam fuisse: Audacter pronuncio, quod nec ipsa plene explicare potuit, quod capere potuit. Unde Andreas Cretensis (or. 1. de dorm. b. Virgin.) a solo Deo dignam laudem ei posse deferri putat: Quam, inquit, Dei tantum est laudare pro dignitate. Quare cum nihil pro dignitate laudari queat, quod pro dignitate prius non agnosceretur; consequens est, nullam creaturam, etiam angelicam, dignitatem Dei parentis plene commendare posse, cum nullus plene, et comprehensive illum agnoscat: ad id namque oporteret, Deum ipsum incomprehensibilem comprehendere, cuius ipsa beatissima Virgo mater est. Quamobrem d. Anselmus (lib. de excoll. b. Virg. cap. 2) postquam dixerat, dignitatem Matris Dei omnia quaecumque, praeter ipsum Deum, excellentia, et dignitate transcendere, solum nobis praebet fa-*

cilitatem, illam sincere contemplandi, et religiose ruminandi: verba eius sunt haec: *Hoc solum de sancta Virgine praedicari, quod Dei mater est, excedit omnem altitudinem, quae post Deum dici, vel cogitari potest, et altissimum quid habet ad contemplandum, et ruminandum mens humana. Haec ergo altitudinem, et nos altius contemplerur, et ruminemus: nam tunc etsi comprehendere non sit datum, ruminare non est negatum; hactenus d. Anselmus.*

Primo, tanquam principium satis notum, et exploratum, omnes etiam philosophi, solo lumine rationis illustrati agnoverunt, quanto aliquid coniunctius est Deo, omnis bonitatis, et perfectionis perenni fonti, tanto perfectius, et excellentius iudicari. Si ergo ostenderim, beatissimam Virgine Dei parente nihil inter puras creaturas Deo coniunctius, aut arctiori vinculo cum eo copulatam concepi, aut excogitari posse, plane innolescet, Dei genitricis dignitatem longe omnem aliam dignitatem transcendere. Strictissimo sane unionis vinculo coniuncta sunt anima, et corpus; mors tamen illud solvit, animam a corpore dividens; imo et amor peccatis est suo modo hanc separationem facere, ut Salomon (Cant. 8) dixit: *Fortis est, ut mors, dilectio: quia sicut mors animam distungit a corpore, ita, iuxta sententiam philosophi: Amoris anima plus est, ubi amat, quam ubi animat.* Ecce separationem animae pro affectum a proprio corpore, quia adeo saepe effertur, ut, id experientia non semel comprobante, reipsa amanti animam abstulerit. Arcissima esse perhibetur coniunctio propriae passionis cum subiecto, ut philosophi docent: exempli gratia risibilitas cum homine; nihilominus tamen in dubium vertitur, an possit separari passio a subiecto, quibusdam affirmantibus, aliis vero negantibus. Unde utraque pars in opinionem abit. Deinde unionis hypostaticae Verbi divini cum humanitate, licet sit tanta arditudo, ut in morte Christi, separata anima a corpore, Verbum tamen divinum nunquam fuerit separatum ab eis; nihilominus tamen, communis est, nemine dissentiente, theologorum sententia, Verbum divinum de potentia eius absoluta dimittere posse humanitatem, coniunctionis vinculum cum illa penitus solvens. Ac tandem nullius mente concepi potest infimior, et arctior coniunctio, quam ea, quae propter summam Dei simplicitatem inter eius attributa ad invicem comparata, vel cum ipsa natura divina fides catholica in Deo nostro agnoscit; nihil secius tamen, mens non solum angelica, sed et humana intelligentia, et ratione illa dividit; misericordiam a iustitia praedicandis, et nudam essentiali considerans absque attributis, et personis, immo in divina substantia illud genus divisionis invenitur, ut licet intellectus, et voluntas sint eadem simplicissima entitas, re vera secundum fidem catholicam, voluntate non generet Deus, sed intellectus, nec intellectus spirat, sed voluntate. Coniunctio autem matris cum filio, seu maternitatis cum filiatione tanta esse agnoscutur, ut neque cogitatione haec ab illa dividit, aut quo modo secerari possit. Cum ergo beatissima Virgo ad eam dignitatem ascenderit, ut theo-

cosos sit, hoc est, *Dei mater*, ut sacram Concilium Ephesinum contra Nestorii impietatem acerrime defendit, catholiceque definit; consequens est, tantam esse cum Deo beatae Virginis coniunctionem, ut quatenus mater est, neque cogitatione separari quocummodo possit ab ipso Deo: ad quod sane respiciens sanctus Bernardus (hom. 6. sup. Miss. est), haec praecellara verba tanti Patris ingenio digna protulit: *Cum Deus sit cum omnibus sanctis propter concordiam voluntatis, specialiter tamen cum Maria, cum qua utique tanta ei consensio, et coniunctio fuit, ut illius non solum voluntatem, sed etiam carnem sibi coniungeret, ac si de sua; Virginisque substantia unum Christum efficeret, vel potius unus Christus fieret, qui, etsi nec totus de Deo, nec totus de Virgine, totus tamen Dei, et totus Virginis esset, nec duo filii, sed unus utriusque filius; haec divus Bernardus. Sed et Ovidius in suis epistolis matrem illam introducit, filium suum vocantem, propter summam cum eo coniunctionem, viscera sua:*

*Cum ea me coram silvas iuvenis in altis;
Viscera tantis ferret edenda lupis.*

Secundo, dignitatem Dei parentis id valde commendabilem reddit, quod Filius Dei utrumque eius ingrediendi ardentissimo desiderio flagrarit, ut his verbis adnotavit b. Andreas Cretensis (or. 2. de dorm. Deip.): *Tu es terra, quae es vera desiderabilis. Rex enim desideravit gloriam tuam pulchritudinis, et amavit divitias tuas virginitalis, et in te habitavit. Desiderium hoc contemplant s. Augustinus (sermon. 17. de Nativ. Dom.) quaedam verba adeo mysteriis gravida protulit, ut singula sua expositione indigeant: etenim ad b. Virginem, antequam consensum praebet ad acceptandam Dei Matris amplissimam dignitatem, in hunc modum in persona Gabriellis loquitur: *Usque quo moraris, o Virgo nuntium festinantem? Intuere Dominum Deum, in coeli me vestibulo sustententem. Observa quaeso, vocasse se nuntium festinantem: sed quid quaeso, opus est, o Gabriel, tanta festinatione in peragendo negotio tanti momenti? peditentem res tanta pertractanda est. Deus ipse per plusquam quinque millia annorum propter summam rei gravitatem, quasi illud maturans, distulit; et nuncius illius festinanter vult rem tantam peragere? nuntium festinantem: sane Gabriel, probe agnoverat ardens Domini sui desiderium, quo tenebatur, virgineum thalamum ingrediendi; et ideo, tanquam fidelis nuncius, quantum potest, assensum ad ingressum eius accelerare satagit. Deinde subdit divus Augustinus in persona angeli: *Intuere Deum, in coeli me vestibulo sustententem; non dixit, Deum sustinere, aut expectare illum in sede regiae maiestatis, aut solio gloriae suae, sed in vestibulo coeli, ad fores sui palatii; qua loquendi phrasi manifestus expressit ardorem divini desiderii in virgineum thalamum ingrediendi: etenim, cum quispiam ardentem adventum alicuius desiderat, impatienter desiderium ad fores domus illam propterare compellit, si forsan, quem desiderat adventantem, citius videat, ut***

fecisse legitimus matrem Tobiae iunioris, quae prae magnitudine desiderii videntem filium suum, ad fastidium montis condescendebat (Tobiae 10): *Anna autem ascendebat quotidie super culmen montis, unde prospicere poterat de longinquo. Titus etiam ardens Dei desiderii exhibito evidendissimo argumentum est, quod exilibo a beatissima Virgine consensu, nec per momentum ingressum in matris utero distulit, ut egregio observavit divus Augustinus (serm. 17. de Nativ. Dom.): *Nec mora, revertitur nunctus, et nuptialem thronum ingreditur Christus; o mirabile, et inauditum huius desiderii ardor. Novet Dominus, antequam in materno utero foetura concipiatur, per quadraginta dies iuxta ordinem naturae in masculis disponi materiam; ipse tamen prae magnitudine desiderii beatae Virginis ventrem introeundi, supremi sui domitii auctoritate utens, naturae iura violans, quadraginta dies non expectat, sed in unico temporis momento, quo nulla brevior duratio excogitari potest, in utero beatae Virginis corpus sibi coapat, animam et infundit, et utriusque unionis hypostaticae vinculo sibi copulat. Unde loannes Damascenus (lib. 3. fidei ortho. cap. 2) dixit: *Non ita ut paulatim, tactisque incrementis figura corporis absoveretur, sed uno eodemque momento perficeretur; hoc idem Filii Dei desiderium non obscure probat, frequens, quem voluit, antequam homo fieret, de mysterio incarnationis in utero Virgineo celebrando, habere, sermo: quae enim ardentem desiderantur, frequenter in ore versari placet. Per Isaiam dixerat: *Ecce Virgo concipiet; per Hieremiam: *Novum creavit Dominus super terram, mulier circumdabit virum; per Michaeam: *Et tu Bethleem, terra Iuda, nequaquam minima es: eum te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israel; immo et per Oseam obstinatis Iudaeis in Christum credere roventibus, tantae obdurationis supplicium eis praegians, incarnationis suae ex Virgine meminuit; et per illam puniendos fore praedixit. Nam ubi noster vulgatus interpres legit: *Vae eis, cum recessero ab eis; originale Hebraeum habet: *Vae eis, cum incarnatus fuero ab eis. Ne autem cuiuspiam haec lectio commentitia videatur, parumque cohaerere vulgatae lectioni, legat, quae in commentario huius loci in haec verba scriptis noster doctissimus Lyranus: *Sciendum, quod isto est unus de passibus Scripturae veteris testamenti corruptis a Iudeis, secundum quod dicit frater Raymundus in hebraica lingua valde peritus: ad cuius intellectum sciendum, quod sic in hebraeo habetur: *quia etiam vae eis, Desuride eis. Hebraei vero habent duplicem litteram, scilicet, *Somech, et *Sin, in sono, et charactera differentes; quando vero *Desuri per litteram *Somech scribitur; significat, in recessu meo; quando vero describitur per *Sin, significat, Incarnationem meam; hic autem scribitur per *Sin; et ideo haec est vera littera: *quia etiam: *vae eis incarnatio mea de eis: assumptus enim Deus carnem de Iudeis, et ex hoc saeculum est, *vae eis, quia pro maiori parte fuerant increduli, et persecutores Christi, et in vindictam mortis eius per Romanos cruciati, et captivi fuerunt, nec ille: quam intelligentiam*******************